

XIX. COL. IVLIVM CARNICVM (Zuglio). Tribu Claudia.

Acc. Monte della Croce (Pleckenalpe) et Comeglians.

Titulos Zuglii primum descripsisse videtur CYRIACUS, quos solus servavit codex Parmensis exemplis optimis versuumque etiam ordinem accurate servantibus, cum in reliquis eius aetatis syllogis eorum vestigium sit nullum. — Venit post hunc Iacobus VALVASONI de Maniaco (de quo conferenda est scheda Cicognae indicata apud Valentinellium bibliogr. Friul. n. 2498), cuius commentarium in scriptum *descrizione della Cargna* dedicatumque cardinali Borromaeo Udine 2 Apr. 1565 reperi in libro saec. XVII bibl. archiepiscopalis Utinensis hist. n. 14; editionem in ephemeride *nuovo magazzino Toscano* a. 1823 (Valentinelli bibl. Friul. n. 1026) non vidi. Vidi praeterea in eadem bibliotheca inter collectanea Lirutiana vol. 1 p. 107 eiusdem Valvasonii commentarium alterum *descrizione di città e terre grosse di Friuli* (quem extare item in bibliotheca Sandanieliana et apud Asquinium observat Zambaldius Concord. p. 343) omissis tamen inscriptionibus; quae vero hic desiderantur, supplentur schedis Muratorianis fasc. XXI, 231, in quibus inventa folia complura antiqua manu scripta tam in adnotatione manu recentis facta quam in corpore Muratoriano tribuuntur Valvasonio recte omnino. Collegit Valvasonius per universum agrum Friulanum, excepta tamen Aquileia, lapides scriptos servavitque ita non paucos. Exempla quamquam non optima sunt, tamen versuum ordinem retinent. Valvasonium fere exscripserunt auctores Friulani posteriores HENR. PALLADIUS alique eumque passim citant (cf. a Turre inscr. Ant. p. 378). — Eiusdem fere aetatis sunt *historiae de antiquitatibus Carnea libri quattuor* Fabii Quintiliani HERMACORAE Tolmezzensis (nam Iacobo Valvasonio eos tribuit Bertolius p. 343 non recte) mihi visi in codice bibl. archiepiscopalis Utinensis n. 17. Auctorem non vixisse saec. XV exeunte, quae est opinio Lirutii, sed ab a. c. 1540 ad a. c. 1620, scripsisse autem certe post a. 1584 nuper demonstravit qui libellum edidit Italice versus I. B. Lupieri (*sulle antichità della Carnia libri quattro di Fabio Quintiliano Ermacora*. Udine 1863. 8.); idem etiam ex inscriptionibus ab eo relatis intellegi potuit, nam titulum n. 1830 vidit Venetiis, quo advectus est demum sub finem saeculi XVI. Ceterum perpauca habet Hermacoras quibus utamur. — ALDUS MANUTIUS iunior accepit quaedam Cividalsia et Tolmezzensia a Raphaele Cyllenio; item inter schedas Ambrosianas R. 125 sup. et C. 61 inf., quae sunt PINELLII, quaedam habentur ex Zuglio et Tolmezzo. — FLORIANI MOROCUTI epistulam primam ad abbatem Iustum Fontanini *toccante l'antichità di Zuglio* scriptam Vindobonae d. 12 Mart. 1712 (cod. Monac. Ital. 344) excussi fructu non magno; excussi item Iohannis Baptistae de

RIVO parochi Cerciventani commentarium scriptum a. 1747 *iscrizioni ed altre vestigia di Giulio Carnico* servatum Utini in bibliotheca capitulari in vol. I documentorum historicorum collectorum a Binio. Deinde Io. Ios. LIRUTI (nat. a. 1689) maxime in sylloge *miscellanea di varie operette* (Venetiis apud Lazzaronium, postea apud Bettinellium vol. 1—8. 1740—1744. 12.) Iulienses titulos collegit; item BERTOLI et CORTENOVIS una cum Aquileiensibus his quoque titulis operam dederunt. Praeterea de effossionibus data opera Zuglii institutis imperante Eugenio tradiderunt SIAUVIUS et ZUCCOLUS (vide supra p. 82); quo tempore quae reperta sunt, pleraque servantur Cividale in museo publico.

Iulienses Carnorum oppidum in decima Italiae regione Plinius 3, 19, 130 recenset, Ἰουλίον Καρνικὸν Ptolemaeus 2, 13, 4 et 8, 7, 5 in Norico quidem, sed ut inde secernat (μεταξὺ Ἰταλίας καὶ Νορικοῦ); *Iulio Carnico* est in itineralio p. 279; denique in titulo urbano a. 198 p. C. (Kellermann vig. p. 105) legitur *C. Gargilius C. f. Iul. Saturninus Car.* Per aliquod tempus vici loco fuisse colligitur ex titulis n. 1829. 1830 magistrorum vici binorum condicionis libertinae; coloniam deinde factam esse certe ante mortem imp. Claudii (n. 1838) docuit titulus n. 1842, quocum convenit quod praefuerunt ei II viri iure dicundo (n. 1838. 1841. 1842). Curator rei publicae est in titulo saeculi quarti exeuntis n. 1862. Errant autem opinor qui eam referunt inter colonias Iulias, id est deductas ante a. 727 u. c. sive a C. Caesare patre filiove sive a triumviris; neque enim putaverim titulos supra dictos magistrorum vicorum ante eum annum scriptos esse. Neque vere dicitur colonia Iulia Carnica, sed colonia Iulium Carnicum, quod minime idem est. Immo crediderim constitutum esse ab imp. Caesare, antequam Augustus appellaretur, forum Iulium Carnicum, ut vici loco esset, postea nomine antiquo retento rem publicam factam coloniae iure impetrato. In tribu Iulienses censebantur Claudia.

Adiecimus Iuliensibus non solum titulum unicum adhuc repertum in vicina valle q. d. *Canal del Gorto* ad Comeglians pagum, sed etiam titulos memorabiles vivo saxo incisos supra Iulium in ipsa summa Alpe (*Monte Croce* Italis, *Pleckenalp* nostratibus), per quam inde ab antiquissimo tempore iter factum esse ex Italia in Noricum etiam Etruscis litteris scriptus titulus testatur repertus in vico Würmlach inter Alpem eam et Mauthen, editus autem in actis acad. Berol. mensuris a. 1857 p. 6. Ex his n. 1862 declarat eius viae curam non tam ad rem publicam Romanam pertinuisse quam ad res publicas duas proximas Iulium Carnicum et Aguontum Norici, unde rectius hoc loco collocantur quam inter lapides miliarios publicos.

1829 Iulii Carnici in lapide fracto PARM. in vestibulo ecclesiae divi Leonardi HERMAC. in aedibus Iacobi Morocuti MOROCUTO. *Nel cortile della casa del cursor comunale CUMANO.*

ET·Q·S·S·S·AEDEM·BELINI

suA · PECVNIA · REFECERE · ET

cluPEA·INAVRATA·IN·FASTIGIO·V

ET·SIGNA·DVO·DEDERE

5 p. ERBONIO · P · L · PRINCIPE

seX·uOTTICIO·SEX·L·ARGENTILLO

MAG · VIC

Cod. Parmensis Kiriakanus f. 56 paulo plenior dat quam posteriores: Valvasoni *descr. della Cargna* n. 2 eodemque exemplo Fab. Quint. Hermacoras in antiq. Carn. ed. p. 24, a quo pendent Henr. Palladius p. 69 et a Turre p. 400 (inde Mur. 471, 1); cod. Ambr. R 125 sup.; Morocuto f. 2; Liruti *misc. di var. oper.* 4, 300, qui dedit item Bertolio p. 301 n. 421 neque aliunde Mur. ms. et 24, 7 a Beretta; de Rivo n. 1; Grassi *Cargna* p. 52. Cumano et Luciani descripserunt.

V. l. dabo Kiriaci Ambrosiani Valvasonis (quod exemplum praestat Hermacorianum) Morocuti Lirutii Grassii Cumani Luciani. Versuum initiis quae solus Kiriacus servavit exhibui inclinatis. — 1 ET·SS Kir., Q·S·S·S Cum., C·S·S·S de Rivo Liruti Luciani, S·S·S Ambr. Moroc. Valv. Grassi. — AEDEM·BELINI Kir. Lir. Luc., AEDEM·BELLINI 'sic' Cumano, ALO... VA... Ambr., A... Valv. Grassi, om. Mor. — 2 PEPECERE·ET Ambr.; REFECERVNT (om. ET) Mur., SVA·REFECERVNT (om. ET) Bertoli ex interpolatione. — 3 PEA Kir., A Ambr. Lir. Cum. Luc., om. rel. — 4 DEDERVNT Valv. — 6 X·POTICIO Kir., POTITIOR Valv. (de quo errore vide quae notavimus ad n. 1830), OTTICIO Ambr. Lir. Grassi Cum. Luc., OTTITIO Mor. Cf. n. 1830, ubi idem homo nominatur. — ARGENTILL Mor.